



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 5. Vtrum requiratur confessio se ipsa, an in voto tantum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

tendit ea applicare, nisi dispositis; vt colligitur ex formulâ. Tum quia satisfactio sacramentalis in nobis realiter recipitur & consequenter merita Christi per eam quasi intrinsecè applicantur. In Indulgentijs autè solùm fit extrinseca applicatio.

Contrariū nu. 32. ex Archidiacono, & Paludanum dist. 20. qu. 4. & quosdam recentiores tenere Indulgentias reuincere.

Aduerte tamen, Siluestrum verbo Indulgentia, nu. 32. ex Archidiacono, & Paludanum dist. 20. qu. 4. & quosdam recentiores tenere Indulgentias reuincere. Ecclesia enim videtur intendere applicare satisfactiones Christi omni modo, quo potest: atqui posset sic applicari: ergo. Hæc sententia non est improbabilis, præsertim si adhuc tempus Indulgentiæ consequendæ duret.

DVBIVM III.

Virum culpa venialis impediât fructum Indulgentiarum?

46 Si culpa veniali affeceris.

Respondeo & Dico Primò: Quamdiu manet aliquis in affectu peccati venialis, & vniuersim quâdiu aliquis manet in culpa veniali, nõ potest vilo modo consequi remissionem pœnæ illius peccati. Ratio est: quia ex culpa necessariò sequitur reatus pœnæ. Potest tamen consequi remissionem pœnæ aliorum peccatorum, quorum culpa est remissa.

Si veniale non vitiet, vel vitiet ipsum opus præscriptum.

Dico Secundò: Si peccatum veniale committatur in opere præscripto, non tamen vitiet ipsum opus, non impedit Indulgentiam: vt si, dum ieiunas, mentiaris. Si autem inficiat ipsum opus præscriptum, ita vt ipsum efficiat peccatum veniale; v. g. si ieiunes vel ores ob vanam gloriam, putat Corduba qu. 22. proposit. 2. Indulgentiæ fructum non impediri. Sed contrarium videtur probabilius, quod tenet Adrianus tract. de Indulgentijs, conclus. 4. Petrus Soto lect. 3. Nauarr. notab. 32. nu. 45. & 46. Ratio est: quia tale opus est omnino ineptum, vt sit conditio requisita ad Indulgentiam: fatius enim est abesse, quàm adesse. Deinde est prorsus inutile ad finem honestum: vnde non potest esse dispositio ad Indulgentias.

Notandum tamen: Probabile esse, opus externum ex duplici intentione posse procedere, quarum altera sit bona, altera mala. Quo posito: Probabiliter dici potest Indulgentiam obtineri per illud opus, quatenus procedit ex intentione bona, licet non obtineatur quatenus procedit ex intentione mala; quod sæpè vsu venire videtur in dandis eleëmofynis.

DVBIVM IV.

Virum, præter statum gratiæ in suscipiente, requiratur præterea sollicitudo & diligentia satisfaciendi pro peccatis per condignam pœnitentiam, petendo eam iniungi à Confessario, vel spontè assumendo?

47 Affirmat Cajetanus.

Cajetanus tract. 10. qu. 1. putat hoc requiri. Sequitur Fumus verbo Indulgentia, nu. 13.

Comunis opinio negat.

Sed quamuis hoc sit salutare consilium, non tamen est necessarium. Ita Corduba q. 27. Nauarr. notab. 27. nu. 2. & seqq. & est communis sententia. Probatum Primò: Ideò capit Indulgentiarum vsus crebrius frequentari in Ecclesia, quia homines erant tepidiores facti ad pœnitentias, adco vt vix ad iustas satisfactiones possent induci: ergo, si requiritur illa sollicitudo & diligentia satisfaci-

di, tunc demum cæperunt frequentari, quândo cæperunt esse inutiles. Hæc ratio est ab absurdo. Secundò: Qui est in gratia, est Christi membrum viuum: ergo est particeps cuiusuis influxus, qui ex eius passione dimanat. Tertiò: Iustus est membrum viuum Ecclesiæ: ergo est particeps communionis Sanctorum, ac proinde illorum meritis ac satisfactionibus potest iuari.

Notandum tamen: Hanc sententiam Caietani in praxi esse valdè salutarem, vt monet Nauarrus, præsertim cum altera non sit omnino certa. Vnde optimè sibi consulunt, qui statuunt in hac vita satisfacere, idque reipsâ nituntur præstare; donec Indulgentias consequantur; hoc enim tantùm requirit Caietanus.

Salubre consilium in praxi.

DVBIVM V.

Virum requiratur confessio reipsâ, an in voto tantum?

Respondeo & Dico Primò: Si in formulâ non exprimat confessio, sufficit contritio cum proposito confitendi debito tempore. Ita communiter Doctores.

48 Si in formula non exprimat vel exprimat confessio.

Dico Secundò: Si exprimat Indulgentiam concedi verè penitentibus & confessis, probabilius est, requiri confessionem in ijs, qui habent peccatum mortiferum. Ita Nauarr. notab. 18. Caietanus Opusc. 15. cap. 10. Corduba q. 24. & alij passim. Ratio est: Tum quia in dubio non est recedendum à proprietate verborum; tum quia vna ex præcipuis utilitatibus Indulgentiarum est, inducere fideles ad confessionem peccatorum.

Aduerte tamen: Non esse improbabile, etiam in hoc casu sufficere propositum confitendi suo tempore. Tenet enim hoc Siluester Verbo Indulgentia, num. 20. citans Paludanum, Panormitanum, Ioannem Andream, Glossam, Imolam, & Cardinalem Sabarellam: additque sic fuisse declaratum in Concilio Constantensi; ita enim se reperisse scriptum in quodam libro cuiusdam Fratris sui ordinis. Sed Antonius Corduba negat talem declarationem, quia nec in Concilio, nec apud aliquem Auctorem grauem vlla est huius mentio.

An hic non sufficiat propositum confitendi.

Dico Tertiò: Etsi requiratur confessio, non tamen necessaria est confessio generalis: sed sufficit ea mortifera confiteri, quæ antè nunquam esset confessio legitimè. Ita Corduba q. 24. & Nauarrus supra notab. 18. Nec obstat, quòd formula dicat, Concedi Indulgentiam omnium peccatorum, de quibus quis fuerit verè contritus & confessus: ac proinde videatur restringere Indulgentiam ad ea peccata quæ tunc confiteris. Non enim dicit, Quod iam de nouo debeat esse contritus & confessus; sed sufficit vt aliàs ea sit legitimè confessus. Quare non requirit, nisi vt ea confitearis, quæ antè nunquam esset legitimè confessus; sic enim aliorum etiam, quæ olim confessus es, veniam consequeris, vt recedè Corduba & Nauarr. supra.

49 An requiratur confessio generalis.

Dico Quartò: Si quis non habeat peccatum mortiferum, etsi in formula requiratur confessio, probabilius tamen est, non teneri ad confessionem. Ita Nauarr. Corduba, & alij. Ratio est: Quia formula explicanda est de ijs, qui habent materiam necessariam confessionis, id est, peccatum mortiferum. Quomodo intelligendum etiam est preceptum de annua confessione. Notandum tamen, in praxi securius esse semper confiteri.

50 Si careat peccato mortifero.

DVBIVM